

et merito: qui fieri potest, ut si Jacob, Isaac, et reliqui patriarchae aquaeductus erant, per quos coelestis illa dncebatur aqua, sitibundi adeo essent, ut continuis precibus illam de coelo decidere obnixè efflagitarent, immo et David illam ardentissime siliret, quando dixit (2. Reg. 23): *O si quis mihi daret potum aquae de cisterna, quae est in Bethlehem?* respondeo, patriarchas illos, etsi prophético spiritu afflatos, probe agnoscerent, se aquaeductus esse, per quos coelestis illa aqua ducebatur, necnon et rumorem fluxus illius percipere, et audire: sitientes tamen erant, quia nondum pervenerant ad Marianum fontem, ex quo illa in terram defluere debebat: in cuius figuram, ne a praedicto Genesis loco (c. 24) recedamus, legimus, Eliezer, Abrahæ famulum, quando ivit ad quaerendam sponsam Isaaco, non bibisse, quousque pulchra Rebecca aquam ex fonte hausit, et eandem ei porrexit; sic certe nunquam sancta Dei Ecclesia hanc coelestem aquam ex profundissima illa divini pectoris abyso manantem ebibit, quousque ad purissimum immaculatae Virginis fontem pervenit, ex quo illam hausit, quia ipsa est, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus: unde d. Bernardus (serm. 5. de Assumpt.) ait: *Propterea tanto tempore humano generi fluente gratias defuerunt, quod necdum intercederet is, de quo loquimur, tam desiderabilis aquaeductus: nec mirabere divitius expectatum, si recordaris, quot annis Noe vir iustus in arcae fabrica laboravit, in qua paucae, idest octo animae salvae factae sunt; idque satis ad modicum tempus. Sed quomodo noster hic aquaeductus fontem illum attingit tam sublimem? quomodo putas, nisi vehementia desiderii, nisi ferore devotionis, nisi puritate orationis? vocat scriptum est: Oratio iusti penetrat coelos; et quis iustus, si non Maria iusta, de qua sol iustitiae ortus est nobis? Quomodo ergo illa inaccessam attingit maiestatem, nisi pulsando, petendo, quaerendo? denique, et quod quaerebat, invenit; cui dictum est: Invenisti gratiam apud Deum; haec divus Bernardus.*

Ad haec, de rege David quaedam legimus (1. Reg. 17), quibus proposita verba nonnihil illustrari possunt: *Misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem, et funda iccit, et circumducentes percussit Philisthaeum in fronte. Ad eundem modum aeternus Pater, per Davidem significatus, misit manum, hoc est, Filium suum, iuxta illud (Psal. 143): Emitte manum tuam de alto: et intromisit petram angularem, ut lo-*

quitur Paulus, humanitatis Christi in peram veluti virginem; deinde autem Christo nascente, inde illam extrahens, ut in crucis funda tempore cruenti illius belli in monte calvario inveniendi, eandem collocans, diaboli caput conterat, ac de universis hostibus, instar Davidis patris sui, de gigante gloriosam victoriam reportet.

Tandem dicamus, ut ad informandos mores nostra convertatur oratio, quod si miraris ingentem Virginis dignitatem, dum Genitrix Dei facta est (Matth. 1): *De qua natus est Iesus: sane, tu amice lector, non prohiberis, quinimo invitaris, ut mater Christi efficiaris, ipso dicente (Matth. 13): Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est: non enim Christi propinquitas secundum sanguinem, sed secundum spiritum nos sanctificat, quia, ut ait d. Ioannes (c. 1), illi sunt sancti, et iusti, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis... sed ex Deo nati sunt. Ego certe voluntatem, velut uterum animae, contemtor, in quo omnia desideria concipiuntur, iuxta illud Isaiae (c. 26): A facie tua Domine concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum. Quando enim ex divina inspirationis semine sancta proposita pullulant, tunc bona desideria concipiuntur: quando vero per bona opera illa exterius in lucem prodeunt, iam partus edimus, et quasi Christum parturimus, quem ante mente solum conceptum ferebamus. Iob hunc partum considerans dicebat (c. 39): Vel parturientes cervas observasti? incurantur ad foetum, et pariant, et rugitus emittunt. Cervae istae animas sanctas adumbrant, quae facile, ac proinde instar cervarum ad sublimia loca salientium, coelestia petunt, sancta suae conversationis desideria concipiunt, incurvantur per humilitatem, vehementes suspiriorum rugitus prae magna contritione emittunt; ac tandem varia poenitentiae opera instar parturientium summo animi dolore pariunt. Verum tamen est, quod sicut mulier, cum parit, tristitiam habet, cum autem peperit puerum, iam non meminit praesurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum; ita veri poenitentes post editos salutaris poenitentiae foetus eo gaudio gaudent, de quo Christus Dominus ibidem dixit: Gaudet cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Quod nobis dignetur praestare, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.*

## DE SACRIS ARCANIS

### PRAESENTATIONIS B. VIRGINIS

#### IN TEMPLO

### LIBER TERTIUS

#### IIOMILIA PRIMA

*Historiam Marianae praesentationis in templo, variaeque prodigia illam concomitantia, priscorum patrum monumentis, ac multiplici probatissimorum doctorum testimonio stabilimus.*

Ne in vanum in sublime aedificium erigere videamur, non praeciato prius sufficienti fundamento, certe cum haereticorum impudentia praesentationis historiam ab Ecclesia receptam, tamquam fabellam, ac ridiculam narrationem perfricata fronte irrideat, compellor verissimam illam esse ex antiquissimis patribus, omni exceptione maioribus lestibus, prius comprobare, quam illustrare. In primis ergo produco s. Ioannem Damascenum (lib. 4. de orth. fid. c. 13. circa med.): *Editur partu in domo oculis Ioakim, et adducitur in templum; deinde in dono Domini plantata, et impingata spiritu, velut olivæ fructifera omnis virtutis habitaculum facta est; ab omni saeculari vita, et carnali concupiscentia procul mentem sequestrans, et sic virginem animam cum corpore conservans, ut decebat eam, quae in sinu Deum susceptura esset: sanctus enim existens in sanctis requiescit. Sic igitur sanctificationem omnem exercet, ut templum sanctum, et admirabile Altissimi Dei digne demonstraretur: sic ille. Sed ante illum Gregorius Nyssenus (sermone de sancta Christi nativ.) ita habet: *Audiri igitur arcanum, et occultam quendam historiam tales de ea re memoriae prodentem narrationes. Insignis quidem in illa exacta secundum legem vivendi ratione, et nobilitate propter summam virtutem pater Virginis erat, sed expertus sobolis consenscebat, propterea quod coniux eius ad liberorum procreationem apta non esset. Habebatur autem matribus a lege quidam honor, cuius honoris steriles participes non erant. Imitatur igitur haec quoque ea, quae de natate Samuelis narratur, et sanctum sanctorum ingressa, supplicat Deo, ne legum beneficio**

*privetur, quae nihil in legem peccasset; sed, ut mater fieret, ac Deo, quod gigneretur, consecraret. Confirmata autem natu dicens, donum, quod petit, accepit. Quom autem nata esset puella, nomen quidem impositum ei Mariam, ut etiam per nomen impositum divinitus datum munus significaretur: quum autem puella iam ita grandis evasisset, ut mammae admoeri eam amplius opus non esset, haud conclata est eam ad templum adducere, ac Deo reddere, atque promissum praestare. Praesentes autem exemplo Sanae in sacris interim puellam educere: haec d. Gregorius Nyssenus. Nec invat antioritatem huius historiae infringere velle, eo quod s. Gregorius egregie vocavit illam apocripham, et mysticam; quia hoc idem est, quod apud nos tamquam occultum, et arcanum, absque scripto canonico, per nondam traditionem, usque ad tempus illud pervenisse. Unde veram illam esse existimasse, probant verba, quae inferius subiungit, explicans verba illa (Luc. 1): *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosce? Haec, inquit, Mariae vox demonstrat esse vera, quae per occultam illam historiam traduntur. Sed adhuc, ad magis stabilendam veritatem Marianae praesentationis, b. Evodius vir apostolicus, post d. Petrum antiochenae ecclesiae praesul, in epistola, quam lucem in scripsit, ut refert Nicephorus, ait (lib. 2. cap. 3. hist.): *Trimula cum esset, in templum est praesentata, et ibi in sanctis sanctorum traduxit annos undecim: deinde vero sacerdotum manibus Ioseph ad custodiam est tradita. Ac tandem eandem historiam recipiunt Epiphanius (lib. de vita B. Virg.) monachus, ac presbyter Constanthinop. (in libro vitae beatae Virginis), ubi ait: *Virginem triennem praesentatam templo a parentibus suis cum donis, et susceptam a sacerdote Iodai, qui, et Barachias dicitur, pater Zachariae; et narrat, paulo post dictam praesentationem, Ioakimum anorum nonaginta novem et vita decessisse. Addo Georgium Nicomediensem (homil. de praesent.), et Gregorium****

Thessalonicensem (*hom. de praesent.*) ante sexaginta annos, et Pholium ante septuaginta annos in questionibus ad Amphylionem Cyri Episcopum, Nicaephorum (*lib. 1. hist. cap. 7.*), d. Bonaventuram (*in meditationibus vitae Christi*), Antonium (*p. p. cap. 1. §. 8. textu 3.*), Simeonem Metaphrasem, Lippomanum Episcopum, et Canisium (*lib. 1. de Drip. cap. 13.*) quos communi consensu sequuntur historiographi ecclesiastici. Nec mihi videtur ignota fuisse haec praesentationis historia, ut quidam putant, d. Gregorio Nazianzeno; non enim legeram totam tragediam de Christo patiente, ubi induxit b. Virginem in hunc modum loquentem :

Simil, atque nata sum, Patris tui, ut arbitror,  
Ex mente summa, me meus nutrit pater,  
Non inter illos, quos colunt homines lares,  
Sed me sacratae mater aedi desinat.

Ad haec, quod omnem dubitandi viam praeccludit, illud esse arbitror, quod Guilielmus dux Saxoniae, qui pro religione sua et pietate in Saxonia magna pietate celebrabatur, literas misit ad Pium II. Pontificem Maximum, quibus, ut hoc festum auctoritate apostolica confirmaret, postulabat: sed illi immature mortuo successit Paulus II. qui fere ante centum annos, postulatis Guilielmi ducis de benignitate assensus est apostolica; concedens, ut non secus atque assumptio Virginis, eiusmodi solemnitas in Ecclesia celebraretur: cuius rei extant gravissimi testes, nempe ipsaemet literae apostolicae in registro gestorum Pauli II. et testatur duo martyrologia; alterum Usuardi, alterum Motani theologi. Non est autem verisimile, hoc diploma a Sede apostolica proditisse, et non prius diligenter fuisse examinatum atque discussum, quibus, et quam firmis testimoniis haec praesentationis historia niteretur. Quod autem tarde fuerit hoc festum institutum, singulari Dei providentia factum reor, ut singulae ecclesiae aetate suis gaudeant revelationibus, singularibusque obsequiis Deiparam venererent. Quod si non miramur, tam sero institutum festum Corporis Christi per Urbanum IV. tempore d. Thomae, cuius tamen veritas plane constat ex sacris literis; quod mirum, si serius colit coepit in ecclesia romana praesentationis festum, cuius nullum est in Scripturis testimonium?

Duo tamen praecipua, eoque scitu dignissima in hac praesentationis historia difficultatem ingerunt: primum est, quod non videtur verum intra templum b. Virginem habitasse, ut praedicta testimonia tradunt: foeminae enim illae, quae Deo sacrabantur, domos habebant iuxta templum, ut constat ex Rabbi Abraham, qui in commentario super illa verba Exodi (*c. 38.*): *Fecit labrum aeneum cum basi sua de speculis mulierum, quae excubabant in ostio tabernaculi*, sic ait: *Erant in Israel mulieres Deum colentes, quae spreto mundi vanitate sua specula Domino offerbant, quia non erant illis opus, quae per singulos dies veniebant ad ostium tabernaculi, ut orarent, et Dei audiret precepta*: de quibus mulieribus intelligitur, quod legitur (*1. Regum c. 2.*), impios Heli sacerdotis filios, earum foeminarum, quae observabant ad ostium tabernacu-

culi, castitalone commaculasse. Unde locum illum secundi Machabaeorum (*c. 3.*): *Acinctae mulieres cilicis pectus, per plateas confuebant; sed et virgines, quae conclusae erant, procurabant ad Oniam, multi explicant, teste Lyrano, de foeminis, quae iuxta templum habitabant; mihi tamen verisimilius videtur, quod praecitati patres indicant, intra ambitum ipsius templi cellulas aliquas fuisse, quas virgines, et religiose viduae Deo sacratae debebant, et templi ministeriis, quoad poterant, inservebant. Moveor ad hoc primo ex illo (*4. Regum 11.*): *Isabab abscondit Ious a facie Athaliae, ut non interficeretur, eratque cum ea sex annis clam in domo Domini: ecce manifeste intra templum: id enim sibi voluit verba, in domo Domini, erat habitatio foeminarum, cum Isabab filia regis Ioram, uxor Ioiadae Pontificis, in eo sex annis habitaverit, cum magno ancillarum comitatu, ut reginam decebat. Moveor ex testimoniis sanctorum Patrum: nam d. Ambrosius (*1. 1. de Virg.*) ait, quod in primo etiam templo Hierosolymis legitur virgines esse deputatas; et ex Cyrillo Alexandrino (*lib. ade. Antrop. cap. 27.*) ubi docet, inter templum, et altare spatium quoddam intermedium virginibus dicatum: et ex antiquissimis Origenes. Admanianus huius traditionis mentionem faciens (*tract. 26. in Math.*) ait, in hierosolymitano templo peculiarem exitisse locum virginibus, ut commodius divinis orationibus vacarent: ac de beata Virgine ibidem subiungit, illam etiam, postquam genuerat Salvatorem, cum statim ac precationem eodem in loco cum virginibus peregrisse; quod factum, cum ab illis reprehenderetur, Zachariam patrem Ioannis Baptistae illam defendisse, ac dixisse: *Digna est virginum loco, quia virgo est*, et in eius defensionem violentiam mortem sustinuisse; idque significant verba illa (*Math. 23.*): *Quem occidistis inter templum, et altare: ibi enim orta fuerat illa contentio. Refert hanc eandem traditionem Theophylactus (*ad cap. 23. Math.*), et admittit illam Cyrillus Alexandrinus (*lib. ade. Antrop. cap. 27.*); et Theophylactus (*in e-narr. 23. cap. Math.*) ait: *Habet ita narratio nobis tradita, quod locus quidam in templo fuerat, in quo stabant virgines. Moveor tandem ex testimonio Gregorii Cedrini in compendio historiarum, necnon ex auctoritate insignis huius nostri saeculi poetae, Baptistae Manluani, qui (*lib. 1. Parthanaeae*) ita scripsit:****

Mos erat antiquus, longum servatus in aevum:  
Aede puellares annos includere sacra,  
Aetateque Deo teneram, primunq; dicare  
Virginem florem vitae, et generare pudoris  
Ingenium curam, sanctosque inducere mores:  
Mox, ubi vestitum prima laeugue tempus  
Venerat, in thalamos ibant, hyemaeque tecta,  
Coniunctaeque viris proli indulgere solebant:

quibus consonant carmina Gothofredi Viterbiensis (*4. p. sui Chronicis*):

Mos erat in templo teneras servare puellas,  
Quas ibi lege sua cum religione reservat:

de Maria porro haec adiecit.

Nata maris Regina Maria novella.  
In templo Domini, nocte, dieque fuit:  
Crescit, et a cunctis meritis vehementer amari,  
Morbis, et specie dignior absque pari.

Secundum, quod praedictam Marianae praesentationis historiam suscipiam reddere videtur, illud quidem est, quod in ea assertur, beatam Virginem habitasse in secretiori eo templi loco, quem *Sancta sanctorum* vocabant: hoc enim putant non solum haeretici, sed et quidam catholici falsum, quia, ut constat ex d. Paulo (*epist. ad Hebraeos*), soli Pontifici illud ingredi fas erat, idque semel in singulos annos; sic enim ait (*Heb. 9.*): *In secundo tabernaculo, idest, in Sancta sanctorum, semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine introibat: quod et tradidit Iosephus (*lib. 2. contra App.*). Non ergo, inquit, permitteretur Virgo in eo loco habitare, ad quem soli Pontifici accedere licebat. Sed obiectio haec facile enervatur, si dicamus, soli Pontifici licuisse ingredi Sancta sanctorum ex lege; et ex speciali tamen privilegio id etiam concessum fuisse Virgini: immo d. Greg. Nyssen. (*in orat. de nativ.*) ex arcana quadam historia refert, d. Annam ad adorandum Sancta sanctorum ingressam fuisse; et ecclesia romana in officio s. Iacobi ait: *Iacobo uni licebat ingredi in Sancta sanctorum*. Si ergo ob insignem horum sanctitatem permixtum fuit his Sancta sanctorum ingredi, non est difficile credere, idem datum fuisse Virgini. Equidem locum illum d. Pauli (*Heb. 9.*) de ingressu solius summi Pontificis in Sancta sanctorum, non ignorabant antiqui Patres; et tamen disertis verbis Virginem Mariam in loco illo, Sancta sanctorum, vocato, commorantem fuisse constantur: nam s. Germanus Episcopus Constantinopolitanus (*in serm. de praes. Virg.*) ait: *Ubi non saepe, sed semel solum in anno sacerdos ingrediens peragebat cultus mysticos, illic Virgo, ut ibi perpetuo maneret, a suis adducitur parentibus, ut esset in sacris gratiae editis. Quis vidit, aut audiret foemina, quae adduceretur in intima Sancta sanctorum, ad quae vix patet aditus hominibus, ut in eis habitet, et versetur? an non est hoc evidens demonstratio novi, et alieni operis, quod in ea futurum erat postea? ostendunt nobis, qui in eam linguis movent, et vident tanquam non videntes, ubinam talia unquam viderunt? puellam ex professo adduci intra tertium velum, tanquam donum, in quod nulla cadit reprehensio, ut illic habitaret assidue: haec ille: et Nicephorus (*lib. 1. histor. c. 7.*) expresse ait: *Virgine in sanctiori templi loco habitasse: Virgo, ut res decina, intacta, et sacrosancta in templi sanctiore loco, et in aditu ipsius vivebat. Constat autem sanctiorem locum fuisse Sancta sanctorum, quod et docent fere omnes praecitati Patres, et moralem eius rationem pie, et ingeniose tradidit Georgius Nicomediae Archiepiscopus (*in orat. de praesent. Virg.*): *Oportebat, inquit, Virginem non in sanctorum tabernaculis, sed in ipso coelo coeli in prima aetate educari eam, quae his collata, sit latior, et puritate antecellat. Quanto autem tempore in eo loco habitaverit Virgo, per undecim annos****

respondet Evodius praecitato loco dicens: *In Sanctis sanctorum traduxit annos undecim.*

Sed nec silentio praeteribit, quod haeretici nonnulli obiciunt, in more non fuisse in veteri testamento puellares virginis templo dedicari, et consecrari, cum virginitas tunc in prelio non esset, et matrimonium honorificum haberetur, utpote benedictionis Dei habens promissionem; sed falsum existimo, virginitatem eo tempore in nullo pretio habitam, quia praeterratum pluralitas uxorum sublata erat, certe castitas non ab uno privato aliquo culta, et recepta erat, sed etiam a publicis coelibus Essanorum, ut testatur Iosephus (*1. de bello iud.*), quos admirati sunt externi, et laudibus celebrant, ut auctor est Plin. (*1. 5. c. 17.*); idque ita congruisse fieri, ut templo virginis illae dedicarentur, constat, tum, quod ethnicorum templis virgines vestales diabolo observabantur, ad divinum cultum spectabant, ut verus Deus, puritatis auctor, et virginum obsequiis in templo coleretur; tum quia aliquod congruebat exitissime monumentum in statu illo templi moysayci, quod tyum, et figuram gereret earum virginum, quae in lege gratiae peculiari voto intra monasterii septa se concludentes, Deo consecrantur, quas d. Augustinus (*in Ps. 95. vers. 2.*) *sanctinoniales*, d. Ignatius (*1. 3. de Virg. 1.*), Hieronymus, et Ambrosius, *nonnas* vocant.

Sed iam alia ex Patribus subiungamus, quae et praesentationem Virginis, et vitam, quam agebat in templo, demonstrant. In primis s. Germanus (*orat. de obla. Virg. in templo*) affirmat, beatam Annam voto nuncupatū partum suum tempore dedicasse: voverat enim, ut oblatum Deo filium divinitus ei datum, et ad implendum votum suum, Virginem Deo praesentavit, et Niceph. (*lib. 1. histor. c. 7.*) inquit: *Promissionem mater Anna adimplet, et in templum ascendens, iuxta votum eam Deo consecrat: et d. Gregor. Nyssen. (*orat. de nativ. Christi*) ex arcana quadam historia scribit: *Non cunctata est Anna eam ad templum adducere, et Deo reddere, ac promissionem praestare: ecce votum sub nomine promissionis expressum; ex quo sane voto meritum illius praesentationis crevisse dubium non est apud catholicos, cum praeter meritum oblationis accreverit ei meritum impletionis voti. Deinde tradit idem s. Germanus, id referente Surio, quod sicul Simon sacerdos adfuit in praesentatione Christi in templo, ita Zacharias, magni Baptistae parens, beatae Virginis praesentationis interfuit, proprisque manibus eam suscepit, magna angelorum, et hominum adstante caetera.**

Ut tamen aliud superdum miraculum, quod in beata Virginis praesentatione congligunt, commemorem, praesupponere oportet, intra templum quindecim graduum scalam fuisse, qua ad locum praesentationis ascendebatur. Iosephus enim (*lib. 6. de bello iudaico c. 6.*) ait: *Gradus quindecim a muro, qui mulieres segregabat, ad maiorem portam ducebant: et Arias Molanus (*in libro de Arca fabrica*) inquit: *Quindecim gradus, quos quidam in templo constitunt, ad quos palam canerentur ab Israelitis, ad sacerdotum atrium pertinuisse videntur. Auctor ergo libri de ortu Virginis, sive Hieronymus sit,**

inter cuius opera exstat, sive quisquis alius fuerit, tradit, beatam Virginem in infantili illa, ac tenera triam annorum aetate, solam absque aliquo humano invamine quindem illos gradus expellere ascendisse; quod satis constat, si ne speciali miraculo fieri non potuisse: verba divi Hieronymi haec sunt. *Erant circa templum iuxta quindem graduum psalmos quindem ascensionis gradus: in horum itaque uno beatam Virginem Mariam parvulam parentes constituerunt, cumque ipsi vestimenta, quae in itinere haberant, exuerent, et cultioribus ex more vestibus se, et mundioribus induerent, Virgo Domini cunctos singillatim gradus sine ducentis, et lecentis manu ita ascendit, ut perfectae aetati in hac dumtaxat causa nihil desse putaret. Iam quippe Dominus in Virginis suae infantia magnam quid operatur, et quanta futura esset, huius miraculi indicio praemonstrabat. Consonant haec alius, quae tradit antiquus liber de infantia Salvatoris, dum ait: Virgo Maria tertio anno cum abducta esset, abierunt cum ea Joakin pater eius simul, et Anna uxor eius ad templum Domini hostias Deo obtulit: quindem gradus templi ita velociter ascendit, ut penitus retrorsum non aspiceret, nec, ut solitum est, parentes requireret; unde eius parentes pariter ambo obstupuerunt, et templi Pontifices mirati sunt. Exercitia autem, quibus in templo vacavit, ex maiorum traditione repetit Sabellius (lib. 2. exemp. c. 4. et 9. et li. 3. c. 4). A prima, inquit, luce ad tertiam diei horam rebus dicinis peculiariter operam daret; inde ad meridiem puellare aliquod opus obiret; saepe et lanificio vacaret; mox autem a cibo, qui parvissimus illi erat, reliquum diei partem. Scripturae sacrae lectioni sedulo impenderet; ita ut, cum rite, sanctoque coelestia curaret, humana tamen non despiceret; utrumque munus Martiae, et Magdalenae complexa. His non dissimilia tradit d. Hieronymus (in quad. epist. ad Heliodorum): ait enim: Beata Virgo etiam in pueritia, et adolescentia sua, quando in templo morabatur cum aliis puellis suis coevis, vitam suam valde ordinatam ducebat: nam a mane usque ad tertiam orationibus insistebat; a tertia vero usque ad nonam operi manuum intendebat; a nona vero adhuc orationem suam incipiebat, a qua non recedebat, quousque illi angelus appareret, de cuius manu escam accipere solebat, et sic semper melius in Dei amore proficiebat. Porro beatam Virginem in templo coelestis angelico ministerio fuisse nutritam cibo, tradunt Cedrinus, et Georgius Nicomediensis (hom. de oblat. virg. in templo), et indicat Ambrosius (lib. 2. de Virg.). ac propriis oculis conspexisse angelum cibum Virgini deferentem Zachariam Iohannis Baptistae patrem, auctor est Pantaleon apud Metaphrastem (de praesentat. Virg.). Quod, ne cuiquam creditu difficile sit, aut illud in dubium revocet, meminere in primis, ipsdum non semel contigisse abbati Apollo, qui sub Theodosio maiore vixit apud eremitas: cum enim ille sacris precibus dies, ac noctes intentus esset, angelus de more ei nutrimentum afferbat: necnon etiam de abbate Nuph simile quidpiam commemorat, qui cum nullus omnino rei, praeterquam Dei desiderio teneretur, nullo alio ci-*

bo, nisi coelesti ab angelo suppeditato, utebatur: et simile aliud legitur de Elia, et de s. Paulo eremita, qui ministerio corvi divinitus eis panem deferentis alebantur. Deinde legitur incredulus Georgium Nicomediensem, qui (hom. de oblat. Virg. in templo) haec scripsit: Tu autem o homo, inquit, admirabilem, et novam in templo vicendi rationem audiens Virginis, noli de eo dubitare, noli exanimare ratione ea, quae copere non potest cogitatio. Vides ipsam Dei Verbum modo ineffabili habitasse in eius utero, et contendes, fueritne alimentum, quo nempe Maria vesceretur, materiale, an expers materiae? vides Paterno consilio Spiritus in ea adumbrationem, et de ministerio angelorum dubitas? nihil est dubium ex his, quae sunt castissimae Virginis; ex eius magnalibus nihil est, quod non sit concivens: omnia a veritate ipsa sunt confirmata: oportebat enim dicium tabernaculum augeri talibus ascensionibus: oportebat, agnam immaculatam tali excipii concivio, talibus cibis excitari.

Tandem Cedrinus in compendio historicorum, refertque illud Canisius, et acceptat (lib. 1. de Deip. cap. 13), quod cum beata Virgo ad annum aetatis suae duodecimum pervenisset, media nocte piis precationibus incumbens, quarum semper fuit studiosissima, vocem hanc divinitus audivit: *Paries Filium meum*; quam revelationem, ait, Virginem nemini patefuisse ante Christi Domini in coelos ascensum. Sed illud factor, non omnino certam apud me reddidit hanc revelationem, quod Virginis turbatio, et eius cogitatio, et interrogatio in annuntiatione, illius mysterii ignarum antea esse ostendit; unde Patres ab angelo illud didicisse communi consensu autumant. Dixi tamen, notanter, non omnino certam, quia haec, quae adduxi, non probant omnino incertam: turbatio enim, et cogitatio illa Virginis non erat de partu, sed de salutatione: angelus enim tunc nihil de Filii conceptione edixerat; unde Lucas ait (c. 1): *Turbata est in sermone eius, et cogitabat, qualis esset ista salutatio*: interrogatio vero Virginis post Filii Dei conceptionem sibi ab angelo nuntiata nihil etiam obest, quia ibi non interrogavit de substantia ipsius mysterii, quod iam praenoverat in illa esse celebrandum, sed de modo illius absque virili operi, ut clare indicant verba illa: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Refert autem s. Bonaventura (in epuse. de vita Christi c. 3), beatam Virginem cuidam devotae foeminae revelasse, quod tidie in templo haec septem a Deo postulasse dona; primum, ut condignaretur sibi conferre aberrantem gratiam, qua illum ex toto corde diligeret; secundum, ut amaret proximum sicut seipsum, et omnia illa, quae a Deo amantur; tertium, ut ea omnia odio haberet, quae Deus detestatur; quartum, ut conferret sibi humilitatem, patientiam, ac reliquas virtutes, quibus gratiam magis illam redderet in oculis suis; quintum, ut liceret sibi haec felici sorte frui, ut videret, et coleret Virginem Filium Dei paritaram; sextum, ut praestaret ei promptam obedientiam ad perfecte obediendum Pontifici, qui in templo praesidebat; septimum tandem, ut conservare dignaretur templum, et eius mio-

stros, ac universum populum, ut illi perpetuo inserviret.

## HOMILIA II.

*De solemnibus comitatu, quo beata Virgo in templo a parentibus suis fuit praesentata, ac Deo oblata: ubi de recta filiorum educatione pulchra multa disseruntur, acriterque reprehenduntur parentes filiis, seu filios suis coelibatam, aut vitam religiosam prohibentes.*

Quamvis prima facie hodierno praesentationis Virginis festo, Matthaei evangelium, quod solum nudam quamdam antiquorum Patrum nomenclaturam continet, minime congruere videatur, mihi tamen nullum illo aplius, atque convenientius praesentationi Virginis in templo Ecclesiam canere poluisse videtur. Sicut enim mos inolevit in curiis regum, ut cum in palatium regale nobilis aliqua foemina denuo introductur, magna nobilium virorum eam sitipante caetera, honorifice deducatur; uti etiam, cum regina Hispanianum regi nubenda ex Germania, vel Gallia proficiscitur, non pauci principes, ac viri clarissimi, quoadusque ad Hispaniarum regis praesentiam veniat, concomitantur: non secus quidem, cum hodierna die nobilissima foemina Maria ex semine Abrahae, orta de tribu Iuda, clara ex stirpe David, in palatium coelestis Regis ingressura, et velut Regina sponsa coelestis Sponso publico ritu nubenda sit, non incedit sola, sed illam honoris gratia concomitantur insignis patriarcharum caetus, quorum primum connumerat sacer Evangelista, Abraham: comitatur potentissimum regum laudabilis numerus; quatuordecim enim enumerat Matthaeus, inter quos primum fert David: comitatur prophetaurum laudabilis numerus, ac fortissimum ducum invincibilis exercitus, ut non immerito posset tunc dici, quod de mystica illa Area b. Virginem adumbrante (1. Paral. c. 15) legitur: *David cum cantoribus deducebat Arcam foederis cum tubilo*. Merito ergo sancta mater Ecclesiae evangelium praesens, viros clarissimos regiae prospae Mariae continens, in festo Praesentationis canit, ut omnes illi mystice concomitentur regiam Virginem in regale templi palatium ingredientem. Sed praeter hunc mysticum comitatum adfuit et alia turba clarissimorum angelorum, et hominum; angelorum quidem, quia, ut d. Bernardus attestat (ser. 51. art. 3. c. 2. tom. 2): *Adfuit Virgini angelorum protectio; assidebant enim illi innumerales multitudines angelorum in eius protectione: pio etenim credo, quod plurimas legiones habuit angelorum ad custodiam; cum et Eliseus, ut legitur (4. Regum 6) angelorum multitudinem habuerit ad sui defensionem. Hominum etiam clarissimorum celebri comitatu fuisse in templum deductam, auctor est s. Germanus (ser. de praesentat. Virg.), qui beatam Annam Virginis matrem in hunc modum loquentem introducit: *Vota mea reddo Domino, quae distinxerunt labia mea, et virginum caeteras coegi cum lampadibus, et con-**

vocari sacerdotes, congregavi cognatos meos, omnibus dicens: *Congratulamini mihi, quod hodie mater, et productrix effecta sum, non regi terreno nam offerens filiam, sed Deo coelesti; hactenus sanctus Germanus. Specialiter tamen de die praesentationis Georgium Nicomediensem Archiepiscopum, ut refert Surius (tom. 1), angelorum chorum Virginem ad templum comitatum esse ait: unde Gregorius Archiepiscopus Nicomediae, oratione de exitu sanctissimae Dominae Dei parentis, quando fuit oblata in templo, excellentiam huius doni admirans, ad templum ipsum quousque rationis particeps esset, in hunc modum alloquitur: *Dilata atria ad exequendam latorem, quae sub aspectum cadere, et non cadere conspecta est creatam naturam, in qua comprehensus, qui comprehendi non potest, citi latitudinem redegit in angustissimum.**

Illud in hac oblatione ad humanos mores componendos primo loco expendendum occurrit, quod parentes Virginis sollicitam curam adhibuerant in reddendo Domino votum, quod ei polliciti fuerant, prolem videlicet suam templo dicaturi: noverant enim illud (Eccles. 5): *Si quid coevisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim et infidelis, et stulta promissio*: unde Salomon (Proverb. 25) voventem infidelem in reddendo vota sua eleganter comparavit nabi pluviam promittenti, sed nunquam illam exhibenti: *Nubes, et ventus, et pluviae non sequentes, vir gloriosus, et promissa non complens*: alludit ad id, quod frequenter accidit: persaepe enim apparet nubes caliginosa, a qua, dices, terram copiose fore irrigandam; postea tamen tantam portendit siccitatem, ut non nisi ventum, tonitruum, et fulgur reddat: ad eum modum multi ferventi animo magna vota emittentes, postea vero nihil implentes, quasi mendaces nubes esse perhibentur: hos per similes existimo illis, qui versus fontem ad hauriendam aquam pergentes, postquam urnam impleverunt, continuo fontem, nullam eius rationem habentes, terga vertunt; sic ingrati homines ad divinae largitatis perennem fontem accedentes, postquam desiderii sui complementum obtinent, ab illo inexhausto fonte bona, quae appeterant, haurientes, continuo ingratitude vitio torpentes, divino huic, ac perenni fonti terga vertunt; de quorum hominum genere Deus conquiratur dicens (Jer. 2): *Vertunt aut me teryum, et non faciem suam sic certe.*

Illud existimo interesse discernim inter propositum nudam, et votum aliquod efficiendi in Dei honorem, quod inter glaciem, et chrysalium; sicut enim glacies calore illam invadente in labilem aquam resolvitur, chrysalis autem etiam vehementer incalescat, soliditatem suam retinet, nullamque in aquam iacturam resolutionis patitur; sic propositum nudum eius naturae est, ut velut glacies, facile a proponentis voluntate dissolvatur; ad voti obligatio eam sortitur conditionem, et naturam, ut instar solidissimi chrysalidis, voventis voluntatem in bono firmiore, ac solidiore, et ad observantiam divinae legis prouentior quaeque, unde Ionas (c. 2) dicebat: *Ego autem quaecumque voti, reddam pro salute Domini*: itaque probe etiam agnoscentes Virginis parentes, postquam ab illo

divinae largitalis fonte desideratam prolem hauserant, quo citius potuerunt, voti sui, velut solidissimi instar chrystalli, observatores, illam Domino in templo obtulerunt. Genebrardus (*in sua Chron. l. 2*) commemorat, quod Antiochus Sedetes praesentem taurum cornibus auro ductile oblectis, bellissimam, omnique pretiosiorum lapidum genere cinctam, purpureo panno, et summi pretii ornamentis operum, cum vasis aureis, et argenteis aromatatum plenis, in hierosolymitanum templum misit: praeclearum sane sacrificium, quo, ut nonnulli asseverant, praeclearius templum nunquam viderat: at in comparatione huius, quod hodierna die Anna offert in templo, longe inferius: non enim taurum purpura, auro, gemmis, et similibus ornatum, sed cunctis seraphim puriore, ac praestantiore Virgine, aurea charitate, purpurea patientia, sapphirina virginitate, smaragdina humilitate, aromatica oratione, ac fulgentibus aliorum coelestium donorum pyropis ornata, in templo Altissimo offert.

Sacra Scriptura commemorat (*in lib. Iud. 11*), Iephthae filiam suam virginem in holocaustum Domino mactasse, quod in hunc modum contigit. Cum ipse proficisceretur ad bellum contra filios Ammon, votum vovit Domino, quod si victor evasisset, primum, quod egredere-tur de domo sua, et illi occurreret, illud ipsum occidens offerret Domino: accidit autem, quod ei victoriam reportanti, et in domum suam revertenti in occurrit unica filia, quam obtulit Domino in holocaustum, peracto duorum mensium tempore, quo ipsa suam deploravit virginitatem. Non dissimiliter Ioakim vir beatae Annae, cum post multum temporis elapsam a matrimonio inito cum illa nullam prolem habuisset, hoc votum Deo vovit, quod si sterilitatis, et infocunditatis difficultatem vinceret per proles generationem, primum, quod occurreret ei de domo sua, hoc est, primum factum, qui de utero Annae prodiret, Domino offerret: accidit, ut devicta naturalis infocunditatis difficultate, primum, quod illi occurrerit, fuit beatissima Virgo, unica patri suo, sicut filia Iephthae, et illam, ut pollicitus fuerat, aetatis trium annorum in templo obtulit Domino. Solum id in hac historia invenio discrimini, quod praeterquam Iephthae, in vivo Hieronymus (*in eum locum*), in vivo fuit imprudens, et in implendo impius; Anna vero in vivo fuit sapiens, et in implendo religiosa; praeter hoc, inquam, illud agnosco discrimen, quod et in commendationem Virginis cedit, quod filia illa Iephthae suam virginitatem deploravit, quia maledictae erant steriles; at beatissima Virgo non solum suam virginitatem non planxit, sed summum iubilo cum semper illaesa servavit, nec sterilitatis maledictionem sustinuit, quae gaudia matris habuit cum virginitatis pudore coniuncta.

Sed praeter istam Iephthae historiam, aliam lego Annae matris Samuelis in principio lumbi primi regum, quae admissum adumbrat hanc, quam beata Anna Virginis oblationem in templo fecit, cuius et meminit sanctus Gregorius Nyssenus (*serm. de natali Christi*), et Nicephorus (*l. 1. c. 7*). Ambae istae

foeminae erant nuptae, ambae steriles, ambae in templo Dei frequentes, ambae prolem suam Deo offerre promiserunt, ambae precibus a Deo foecunditatem efflagitarunt, ambae illam invocantem firmissima fiducia, et spe non caruerunt, ambae desiderii sui complementum obtinentes, partum suum feliciter ediderunt, ambae tandem prolem suam Domino in templo religiose obtulerunt, atque sacrarunt. Quod si s. Chrysostomus (*hom. de Ann. l. 1*) de oblatione illius primae Annae matris Samuelis filium suum in templo offerentis dixit: *Suorum viscerum facta est immolatrix*; quid quaeso dicendum arbitramur de hac nostra celebriori Anna, offerente Deo unicam filiam dilectissimam, ac Dei Matrem futuram? Ausim dicere, meritum eius Abrahae merito inferius non fuisse: immo si oblationem eius ex rei oblatae excellentia pensem, tanto Annae oblationem Abrahae excellit, quanto Virginis sanctitas Isaac sanctitatem superavit. Facta quidem haec oblatione contemtor Virginis parentes verba illa (*1. Paralip. 29*) sibi usurpasse: *Cuncta quae in caelo sunt, et in terra, tua sunt, tuum Domine regnum, et tu es super omnes principes, tua sunt omnia, et quae de manu tua accipimus, dedimus tibi: respice Domine de domo sancta tua in nos, et inclina aurem tuam, et exaudi nos; aperti oculos tuos, et vide etc.*

Atque ex hac religiosa B. Annae observantia duo valde utilia documenta omnes parentes elicere moneo; primum, ut filios, ac filias suas, non profane, sed pie, ac religiose instituendis sollicitam curam habeant; suum enim non pauci parentes, de quibus David (*Psal. 145*) dixit: *Quorum filii, sicut novellae plantationes in inventute sua: filiae eorum compositae, circumornatae, ut similitudo templi*; quasi diceret; quorum filii, et filiae propter pravam parentum educationem nihil aliud curant, quam externum amictus splendorem, cui adeo vacant, ut simulacrorum, ac imaginum templi ornatum longo intervallo excellant. Huiusmodi praeceptam curam in eorum animis recte instituendis adhibere deberent, totam in exorandis eorum corporibus misere, ac vane impendunt; unde de illis merito dixit Chrysostomus (*Opere imp. h. 35. in Matth. 2*): *Desiderant valere illos in hoc saeculo, et non curant quid illi sint in alio*. Antiqui certe Gentiles non ignorarunt, quantum utilitatis bona filiorum institutio secum afferret; nam de Philippo Macedonum rege narrat Plutarchus (*de Philip. Mac. rege*), non tam gavisum fuisse ob nata filii sui Alexandri, quam quod eo tempore nasci contigisset, quo illi Aristotelem philosophiae principem in magistrum, ac paedagogum adhibere poterat. Plutarchus deinde in suis moralibus non longe ab ea Spiritus sancti (*Proverb. 23*) sententia recedens: *Tu virga percuties eum, et animum eius de inferno liberabis: eruditio salis dicitur, quod sicut novella arboris plantae in sinistram partem deflectente, si in principio eius obliquitate non obstes, postea in dies magis ac magis in obliquitate sua inveterascit, et ad rectitudinem recipiendam ineptior redditur; et quantum admodum quantumcumque tellus foecundissima sit, si aratri ferro eam non prosiciat, ad*

ligone effodias, nullum frumenti fructum tibi referet; et sicut ferox, et indomitus equus, nisi eius maxillas in campo constringas, et pungenti calcaris aculeo effroemem eius petulantiam pespescas, ferocitatem nunquam amittit; ac tandem, sicut in cera molli facile sigilli figura imprimitur, si tamen illa nimium induruerit, difficillime sigillarem imaginem in se recipit; non dissimiliter, si vos o parentes, filios vestros in infantia, in pueritia; immo, et inventute in sinistram partem deflectentes, si acri verborum increpatione lascivientes eorum appetitus non prosiciatis, si ferrea correctionis virga effroentatum eorum vivendi consuetudinem imperiose non coercetis; ac tandem, si id opus fuerit, variis suppliciis induratos eorum animos non emollitis, vosmetipsos, et illos in aeternae damnationis barathrum praecipites fertis; experientia enim satis exploratum habemus illam tritam valde Horatii sententiam:

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem  
Testa diem:

unde de celebri illo Lacedaemoniorum legislatore Lycurgo legitimus, id referente Plutarcho, quod vehementer Lacedaemonibus suadere desiderans, quantum a pueritia ipsa bona filiorum institutio interesset, ut deinceps in inventute, et senectute honorum operum fructus producerent, duos canes catulos hac industria educavit, unum in culina inter tripodes, cacabos, et sartagine; alterum vero a gregis sylva in venationibus; postea vero Lacedaemoniis in unum congregatis, propositis in medio theatri cacabo, seu olla carne cocta plena, ac lepore haec, et illac circumversante, canes illos in conspectu eorum produxit; quorum in culina inter cacabos, et ollas educatus, nihil faciens leporem, continuo cacabum, seu ollam festinus invasit; alter vero in rure, venationi vacans, enutritus, confestim leporem, spreta ollae carne, insectari coepit. Eo ergo, inquit tunc Lycurgus, o Lacedaemoni, admissum expressum commodum bonae, et nocumentum pravae filiorum institutionis: qualis enim illa fuerit in pueritia, tales procul dubio pariet fructus in inventute, et senectute. Sed, quid opus est ethnicorum exemplis, ubi sacra, ac divina suppetunt documenta? Cum enim Deus (*in Levitico c. 1*) praecipit sibi offerri agnos anniculos; et (*in libro Numerorum*) iussit, ut vitula ei in oblationem daretur, quae nunquam portaverit ingum, quid aliud parentes docet, nisi ut filios suos divinis obsequiis a pueritia sua mancipare satagant, antequam peccati, aut satanae iugo successerint? ut enim testatur d. Ioannes (*Apoc. 12*), ipse vidit, quod draco mulieris partum apertis faucibus expectabat, ut continuo illum devoraret; quod non obscure indicat, quam sollicita, ac diligenti cura opus sit parentibus, ne filii eorum antiqui serpentis veneno in pueritia inficiantur. Cum etiam (*in Deuter. c. 21*) hoc mandatum Deus promulgavit: *Si genuerit homo filium contumacem, ac protervum, qui non audiat patris, aut matris* CARTHAGENA de B. M. V. — Vol. I.

imperium, et coercitus obedire contempserit, apprehendent eum, et ducunt ad seniores civitatis illius, dicentque ad eos: *filius iste non protervus est, et contumax est etc. conversationibus vacat etc., lapidibus cum obruet populus civitatis, et morietur, ut auferatis malum de medio vestri*: quid aliud hoc supplicii genus indicat, nisi quantum nocentium perversa pariat filiorum educatio, ac licentiosa eorum vivendi ratio? Percutite ergo parentes correctionis virga filios vestros, alioquin illi graviore supplicii virga vos ipsos afficient? Ut enim narrat Alexander ab Alexandro (*lib. 1. genial. dierum c. 1*), et Iovianus Pontanus (*l. 1. de liber. c. 9*), cum quadam matre filii aut domestica quadam, ac modica furta non increpante, ille externa alia graviora commisset, ob quae suspensio adedicatus fuit, dum ad supplicii locum duceretur, fingens se matris, quam in itinere offendit, secreti quidpiam dicere velle, auri eius os admovens, aurem dentibus evulsit, haec continuo profrensus: Si ob minima illa, ac pericula furta me dure increpasset, in graviora non incidissem, nec ad hoc supplicii genus venissem! et s. Bernardus (*serm. 17. de Evang. aeterno*) simile quidpiam de alio commemorans, qui dentium morsu nasum patri amputavit, subiungit, quod audiens id prudens quadam mater, acriter increpans filium, ac latera eorum tundens, dicebat: non mihi nasum amputabitis. Longe quidem ab hoc periculo aberant celeberrimi illi duo antiqui patres, Iob, et Tobias, quorum primum sacrificium offerrebat Deo: *Ne forte peccaverit filii mei, ut ipse aieat (c. 50): secundum vero filium suum hac pietate instruebat (c. 4): Omnibus diebus vitae tuae in mente habeto Deum, et in carne, ne aliquando peccato consentias, et praetermissis praecepta Dei nostri: quod si haec, et similia bona documenta praesentes, ut credibile est, sanctus Noe, et David, ille a duobus filiis derisus, hic ab Absalone acri persecutione infestatus fuit, quid quaeso mali perverse educati filii adversus parentes non mollientur? Unde incognitus (*super Psalm. 143*) in illa verba iam praecitata. *Filii tui sicut novellae, ait: A filiis tuis caeco, si filiis abundas, et non dicitis virum amore, miser es; si filiis abundas, et dicitis, insidiatores illos habes: quia quanto dicitur es, quantoque potentior, tanto amplius insidiatorem vitae tuae, et mortem tuam quaerunt.**

Secundum documentum, quod ex pia, ac religiosa Annae oblatione parentes colligere debent, illud esse arbitror, quod inurbanitatem eorum apertissime damnat, qui Deo prolem suam oblaturi, ex filiis quidem ingenio hebetiorum et corpore deformiorum, ex filiabus vero facie turpiorem ei offerunt; imitatores quidem facti tum antiqui illius Cain, qui imbecilliora, ac deleriora Deo offerebat, tum illorum, de quibus ait Matthaeus, quod obtulerunt Christo omnes male habentes. Revocante quaeso, o parentes, in memoriam, quod praecipiens Deus olim animantium primogenita sibi immolari, asinum excepti, dicens (*Exod. 34*): *Primogenitum asinae mactabis ore: quid quaeso aliud primogenitum asinae, quod inter omnia animalia insipientissimum, et sto-*

lidissimum est, significat, nisi stolidum, et insipientem filium, quem Deus tanquam statui religionis monastico ineptum minime sibi offerri desiderat? immo, si rem alius patres considerat, facile reperient, nullam vivendi rationem magis prudentia, immo et sapientia indigere, quam monasticam; ubi, cum tanta sit conditio, et ingeniorum diversitas, difficillimum est omnibus coaptari, ut Paulinum illud documentum impleatur (1. Cor. 9): *Omnibus omnia factus sum*. Quid quod ad sustinendum superbum, aut imprudentem praetatum non solum insigni patientia, sed et singularissima opus sit prudentia, qua certe stolidi, et insipientes homines omnino carent? Sed, et parentes, qui facie, et corpore turpiorem filiam Deo consecrant, meminisse deberent, quod Deus olim etiam animalia, quae sibi offerbantur, volebat esse pulchra, et omnis maculae experta; unde (in *Levit.* 3) ait: *Si de bobus voluerit offerre marem, sive foeminam, immaculatam offeret Domino*; et apud Ezechielem (c. 43): *Offeres vitulum de armento, immaculatum*: haec quidem omnia, ut ait Apostolus, in figuris contigebant illis: significare enim per illa Deus intendebat, pretiosiora, etque pulchriora, non deformiora sibi esse offerenda, ut primus ille numerum oblator Abel non docuit, sacra Scriptura testante, quod de adipibus gregis sui obtulit Deo, ob quod meruit id, quod statim sacer textus (Gen. 4) subiunxit: *Et respexit Dominus ad Abel, et ad munera eius: ad Cain vero, et ad munera illius non respexit*, utpote, quia de adipibus non erant, sed de deterioribus.

Tandem singularis haec amborum parentum B. Virginis cura de offensa illa in templo clamat adversus parentes, qui filios, aut filia-bus suis religiosam vitam, aut coelibatus statum prohibent, hos, quaeso, non me, sed prae-secus Ecclesiae patres audiant, quid in hoc genere argumenti edixerint: d. Ambrosius sic eos alloquitur: *Si hominem amarent filiae vestrae, per legem possent eligere quem vellet; quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet? bonum est, si virgini studia parentum, quasi fabra, ut oris aspirant*: d. Hieronymus ad Furiam sic adversus parentes excaecescit: *Filii magis sunt Christi, cui renascuntur; non es eius, cui nata es, sed cui renata, et qui te grandi pretio redemit sanguine suo*. Videns etiam d. Hieronymus amorem parentum erga filios esse absque prudentia, et scientia, subdit: *Pium parentis amorem intellige, cui, ut amorem in te tribuam, amoris scientiam non concedo*: parentes quidem illos non diffilice habere, qui filios religiosae, sanctaeque vitae mancipare sciunt; quia scientia illi sine dubio caret, qui mundi mancipia magis fieri eligunt, quam religiosae vitae se tradere. Consonant his omni-bus egregia, quae cecinit carmina Gregorius Nazianzenus:

Vos ego converso iam nunc sermone parentes, Allognor, in quorum manibus iacet, arbitrioque Gloria virginicae, vel foeda infamia prolis, Ac simul ad charos, etiam dabo dicta propinquo, Et quibus aetatis commissa est cura tenellae.

Hand deest, hand fas eis, magni fignenta parentis. Cogere. . . . .  
Nemo igitur stolidiae vanissima gaudia carnis.  
Dum sequitur, Christique flagrat amore, puellam,  
Invitam ad thalamus revocat, veneremque molestam,  
Ac velut haerentem saxo alluximque rigenti,  
Polydon, aut volucrum teutet depellere nido.

Quod si haec parentes non terreat, terre-re, ac contremiscere faciat sacrosancti concilii Tridentini decretum, anathemate damnans ses-sione 25. cap. 18. parentes, vel consanguineos, vel quoscumque alios, tam laicos, quam ec-clesiasticos, qui alicuius foeminae voluntatem accipiendi habitam religiosum, vel votum ca-sualis emittendi, quoquo modo impediunt. Quod si neque spiritualem poenam expavescant, temporalem saltem pertimescant, quia, ut ex-perientia non semel comprobavit, huiusmodi parentes Deus e vita tollit, ut filios ad cape-sendum sanctus vitae genus tollat impediendum: unde d. Ambrosius (lib. 1. de virg.), refe-rens, virginem quamdam quae altari haerebat, cum ei a quodam diceretur: *Si pater tuus vi-veret, inuipiam te manere pateretur? aut, con-tinuo respondisse: Ideo fortasse defecit, ne quis impedimentum posset afferre*. Quid plura? me-minerint quaeso parentes religiosae vitae, aut coelibatus statum filios suis prohibentes, per-similes existere tum Pharaoni, et reliquis Ae-gyptiis prohibentibus Israelitis exitum a capi-uitate aegyptiaca, et ingressum in terram pro-missionis; tum etiam impio Herodi, quia sic-tulle Christum recens natum acriter perse-quutus fuit, ita ipsi eundem in amnis filio-rum per propositum vitae religiosae recens con-ceptum herodiana crudelitate enecare conten-dunt. Meminerint deinde, d. Hieronymus adver-sus Helvidium tam pie, quam acule dixisse: *Virgines fructus esse nuptiarum; unde merito steriles se putare debent, si fructum hunc non producant, foecundos vero, cum qui virginita-tem colant, filios, filiasque protulerint*: immo addit d. Hieronymus pro sua insigni pietate in epistola ad Furiam, parentes non implere men-suram nominis patris, aut matris, dum filios, aut filias Deo non consecrant; *Pater, inquit, impleat nomen suum, laetetur filiam genuisse Christo, non saeculo*. Ad extremum memine-rint huiuscemodi parentes, ingressum religio-nis suis filijs interdicentes, in extremo Dei iudicio rationem reddituros non solum peccato-rum, quae propter permanentiam in saeculo commiserunt, sed et honorum operum, quae religionem ingredientibus, effecturi forent, ut re-gis Achab historia adamussim repraesentat: nam (4. Reg. 9) cum Iehu iudex a Deo creatus es-set contra impietatem regis Achab, eo quod iniuste occidisset Naboth, ait sacer textus, re-gem Achab morte plectendum esse pro sangui-ne Naboth, et pro sanguine filiorum eius; et tamen certum est, nullum eius filium occidisse: ait nihilominus filiorum eius sanguinem ef-fudisse, quia praematura, et anticipata patris morte gerendam ab eo prolem impedivit: non secus, qui filios religiosam vitam agere pro-hibent, omnium honorum foetus, quos in re-ligione edituri essent, sibi in extremo Dei iu-

dicio fore imputandos, certo sciunt. Cui sit ho-nor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA III.

*Prosequimur b. Virginis praesentationem, et oblationem ab eius parentibus in templo factam, dum illa Deo, tanquam aureum vas pretiosissimum gemmis ornatum, in divinum eius obsequium ob-tulerunt.*

Cum beata Virgo non solum paritura esset templi Dominum, sed et propriis sanguinis sui expensis edificatura templum illud delita-tum, humanum Christi corpus, quod templum ipse vocavit (Joan. 2): *Soluite templum hoc, et iterum aedificabo illud*; nullibi aptius com-morari debuit, quam in templo Domini; et ideo Spiritus sanctus ad id eam invitans, nunc ei dicebat (Cant. 5): *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, veni electa mea, et ponam in te thronum meum*; nunc illi suggererat (Psal. 44): *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum*. Audivit sa-b. Virgo Dominum sibi loquentem, et, ut au-diens subaudiret, ac divinae vocatiōi citius obsecundaret, parentes suos sollicitabat, ut, quae iam triennis esset, ac divinissimae Triadi absque ulla mora illam in templo praesentarent, debitamque Deo ipsius oblationem non ultra differrent: Marianus precibus parentes Vir-ginis amentes, festum dilectissimam filiam in templum adduxerunt, pretiosissimum, et inaesimabile illud munus religiose, et libera-liter Domino donantes. Sane, licet Deus ditis-simus sit, nec nostris indigeat muneribus, ut cecinit ipse David (Psal. 13): *Deus meus es tu, quantum bonorum meorum non eges*; placet nihilominus ei, ut in supremi domini illius re-cognitionem, quae de munificentissima eius manu accepimus, liberaliter ei tribuamus; a-lioquin non semel repulsam patiemur, quia, ut dixit Ovidius:

Ipsae licet venias musis comitatus Ilomere.  
Si nihil attuleris, ibis Ilomere foras.

Hoc Dei ingenium, cum non ignorasset sacri Mariae parentes, Deo placendi sitentissimam, charissimam filiam suam, velut sacrum quod-dam vas, divino ministerio aptissimum, Deo consecravit. Divina eloquia referunt (Dan. 5), regem Balthassarum sacra templi vasa prophana-se, dum illa in lautum convivium addu-ctis, quibus conviviae ad invicem sibi vinum pro-pinabant. Eadem sacrae Scripturae (2. Mach. 4) monumenta commemorant, Menelam vasa do-mus Domini divino cultui dicata sacrilego ausu sibi usurpasse: at parentum Virginis summa erga Dominum, et templum illius religio eo pervenit, ut a prophanandis, vel eripiendis sa-cris vasibus templi tam longe religiosus co-rum animus abesset, ut potius, praeter alia

munera, quae singulis annis templo offerebant, sacrum hoc, et animatum vas immaculatae Vir-ginis ad eius ministerium Deo sacraent.

Olim Ieremiae lacrymanii (c. 18) ob ruinam generis humani Dominus dixit: *Descende in domum figuli, et ibi audies verba mea*: continuo ille in domum figuli se contulit, ingressusque est eo tempore, quo vas iam factum cecidit in terram: *Et dissipatum est vas quod ipse faciebat e luto manibus suis*: tunc figulus ex eodem luto, apponens illud in rota, alterum vas confinxit: *Conversusque fecit illud vas, alterum, sicut placebat in oculis eius, ut faceret*. Visio haec Ieremiae adamussim ante oculos no-bis ponit instabilitatem, et fragilitatem Evae, fortitudinemque et stabilitatem Mariae: fecit Deus Evam, quae vas adeo fragile fuisse no-scitur, ut, diabolicae suasionis vento in il-lam flatu, continuo constringeretur: peccato enim constanti, subordinatio illa sensus ad rationem, quam iustitia originalis ei confere-bat, penitus corrumpit: *Et dissipatum est vas*. Huius vasis casus gravis adeo fuit, ut, et peccati Adae, et posteriorum illius origo fieret: quod Ieremias considerans non poterat a lacrymis se temperare: ut tamen Deus solaretur illum, ex eadem lutea massa generis humani aliud mi-rabile vas confecit, nempe beatam Virginem, per quam iactura illius primi casus mirum in modum instauraretur: unde Ecclesiasticus (c. 43) eam vocavit: *Vas admirabile, opus excelsum*; et merito quidem; est enim vas illud unicum, in quo manna humanitatis Christi positum fuit ad servandum illud in cibum animarum; est vas novum Deo exhibitum, in quo sal divinae, ac increatae Sapientiae ad sanandas aquas hu-manae generationis, ne ultra in eis moras, et sterilitas spiritalis grassaretur, depositum fuit; est vas aureum de pecuniis templi Domini, hoc est, ex propriis, et potissimis Christi meritis fabricatum; est vas purissimum, ex argento ab omni peccati rubigine praeservatum; est vas mundum habens operculum divinae protectio-nis, et desuper legaturam superventionis Spi-ritus sancti in eam; est vas castrorum in excelsis in firmamento coeli resplendens; est vas altissimae suspensum in solio gloriae domus Pa-tris sui; est vas conflatum a fabro, sufflante in igne prunas, et profereute illud in opus suum, nempe in opus incarnationis Christi, et redem-ptionis humanae; est vas a Deo fabricatum, sicut placebat in oculis eius, ut faceret; est vas utile in domo Dei, in quo gloriarur Deus, qui possidet illud: tandem est quasi vas auri soli-dum, ornatum omni lapide pretioso: bene quidem ait solidum, quia in reliquis foeminis, ut concipiunt, virginitatis claustra violantur, et par-turientes prae nimio dolore, quasi franguntur; beata autem Virgo, instar solidissimi vasis auri, tanta fuit soliditate praedita, ut, nec con-ceptus virginitatem, nec partus integritatis e-ius clausuram disrumpere, sed inviolatae po-tius, integerrima, ac solidissima semper ma-neret. Fateor haec omnia huius virginis vasis excellentiam non parum ostentare; duo tamen reliquis omnibus mirabiliorum valde illam com-mendant; primum est, quod cum, communi philosophorum sententia id approbante, conti-

nens maius sit suo contento; unde si videremus vas, quod liquorem duplo, aut quadruplo se maiorem contineret, omnes nos in magnam admirationem raperet; e contra vero omnino hic accidit: nam dum Deus sub humana carne deitiescens angusto Virginis Mariae utero conitetur, tanto quidem contentum est maius suo continente, quanto Creator excedit creaturam; infinitum finitum; immensum id quod certis terminis circumscribitur: unde Ecclesia catholica tanti operis admiranda in ea verba prorumpit: *Quibus te laudibus offeram, nescio, quia quem coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti*. Secundum, quod valde admirabile reddidit hoc sacrum vas, illud sane potaverim esse, quod sicut stupendum in omnium oculis esset, intueri vas aureum, quod undique perfecte clausum non minus facile sum effunderet liquorem, quam si revera apertum, et absque ullo operculo esset; ita summa admiratione dignum, nemo sanae mentis inficiabitur esse, quod cum admirabile hoc vas sacratissimae Virginis coelestem virtutem habens sonum immittendi, manifestum contemplationis symbolum: aderat chrysolitus, auri colorem redolens, virtute praeditus contra nocturnos timores, fortitudinem animi apte satis denolans: aderat sardonix ad humilitatem inclinans; aderat onychinus, tremulos faciens oculos, timoris illius manifesta imago, de quo David (Psal. 39): *Time te Dominum omnes sancti eius*: aderat sardius, sanguinis fluxum restringens, et audacem reddens animum, virtutem animositatis adumbrans: aderat adamas, inexpugnabilis animi imago: aderat smaragdus, in quo viriditas color, spel argumentum, effulgebat: aderat topazius, excitatae irae mitigandae singularem vim habens: aderat saphirus, qui intensum sanguinis ardorem refrigerans, castitatem carnis incentiva extinguentem perspicue significat: ac tandem, ut paucis multa comprehendam: *Omnis lapis pretiosus, operimentum eius*: Mariam enim operiebat fides patriarcharum, spes prophetarum, charitas apostolorum, constantia martyrum, sobrietas confessorum, sapientia doctorum, castitas virginum, diligentia angelorum, illuminatio archangelorum, quies thronorum, magnitudo dominationum, excellentia principatum, severitas potestatum, potentia virtutum, scientia cherubinorum, necnon armorum incendium, quo seraphici spiritus inardescunt: ecce quam bene Mariae congruat praecitata Ecclesiastici verba (c. 50): *Tanquam vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso*.

Hesiodus in illa sua secreta philosophia pulchram quandam virginem describit a diis summo opere dilectam, cui singuli amoris gratia singula nomina liberaliter condonarant, Apollo Musicen, Mercurius eloquentiam, Mars fortitudinem, Venus gratiam, Minerva sapientiam, Iunio singularem venustatem: hanc virginem tantis dotibus ornatam, *Pandoram*, hoc est, *donum omnium deorum* vocitabant, alii vero addunt, illam confectam fuisse, omnium deorum matrem esse. Haec quidem prophana, si in sacra convertamus, non fabulosa, sed in beata Virgine verissima comperimus; cum tres divinae Personae Mariam Deiparam summo amore prosequen-

tes, tot coelestibus donis illam emularint, ut ipsamet ore suo promat (Ecl. 23): *In me gratia omnis viae, et veritatis, in me omnis spes vitae, et virtutis*: ac si diceret: in me primo parentum iustitia originalis; in me columbina simplicitas Abelis: *Oculi tui columbarum* (Cant. 6): in me somnus contemplationis Enoch: *Ne suscitetis, neque evigilare faciat dilectam, quoadusque ipsa velit* (ibid.): in me iustitia magni illius patriarchae Noe: *Indumento iustitiae circumdedit me* (Isai. 61): in me fides Abraham: *Beata, quae credidisti, quoniam perferentur in te, quae dicta sunt tibi a Domino* (Luc. 1): in me tolerantia patientissimi Iob: *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius* (Ioan. 19): in me insignis pudicitia Rebeckae: *Turbata est in sermone eius* (Luc. 1): in me pulchritudo Sarae: *Tota pulchra es, amica mea* (Cant. 4): in me prudentia Abigailis: *Et cogitabat, qualis esset ista salutatio* (Luc. 1): in me humilitas Liae: *Ecce ancilla Domini, fit mihi secundum verbum tuum*: in me virginitas Sanamitidis, quam non cognovit rex, licet illam in conjugem accepisset: *Quomodo fel istud, quoniam virum non cognosco* (ibid.): in me tandem sollicita cura Marthae, et ardens amor Magdalene: *Dicite dilecto, quia amore langueo* (Cant. 2): ecce nullus lapis pretiosus, nulla inestimabilis unio, nulla fulgentissima gemma, nulla, quantumcumque orientalis, ac summi valoris margarita in hoc Mariano vase desideratur, ut revera decebat regium vas, in quo Filius Dei ad incarnationem purissimum sanguinem exhibit, et ad carnis assumptae nutritionem, lactis potum, ut supra dicebam, bibiturus erat.

Ceterum, sermonem ad nostram institutionem convertens, a vasis tamen metaphora minime discedens, Paulina verba (2. Timot. 2) in memoriam revocare oportet: *In magna domo non solum sunt vasa aurea, et argentea, sed et lignea, et fictilia*. In haec autem magna domo Ecclesiae catholicae iusti sunt vasa argentea, et aurea, in quibus pretiosissimum divinae gratiae balsamum, suavissimum odorem efflans, reconditur; peccatores vero sunt vasa lutea, et fictilia, quae nonnisi vitiorum foeces a longe foetentes continent; illi sunt vasa in honorem, isti in contumeliam, ut ait idem Paulus (ad Rom. 9): illi sunt vasa vitae, isti vasa interitus: *Præparabit vasa mortis, sagittas suas ardentibus efficit* (Psal. 5): illi sunt vasa solida, isti fragilia: *Cor fatui, quasi vas contractum, et omnem sapientiam non tenebit* (Ecl. 21): illi sunt vasa misericordiae, isti vasa irae: *Aperuit Dominus thesaurum suum, et protulit vasa irae suae* (Ierem. 50): illi sunt vasa plena, isti vacua. Illud autem interest inter vas plenum, et vacuum, quod illud lactem non sonat, istud autem si tangatur, tinnit, et personat: non secus iusti, tanquam vasa divinae gratiae plena, si adversitatibus tangantur: *Non murmur resonat, non querimonia* (Ecl. in offe. martyrum); ut apparet in Iob, quem cum Deo lepra percussisset, *Manus Domini tetigit me*; ipse tamen, ut ait sacer textus: *nihil stultum loquutus est labiis suis contra Deum*: e contra vero peccatores, tanquam vasa divinae gratiae liquore vacua, quocumque dolore tangantur,

continuo impatientissimis verbis crepitant, imo in blasphemias sacrilegae auri in magnam Christi iniuriam prorumpunt, cui, ob summam eius benignitatem, qui vasa irae in multa patientia sustinet, sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA IV.

*Agitur de oblatione, quam sui ipsius fecit triennis beata Virgo in templo hierosolymitano; et de facili ascensu quindecim graduum; cuius occasione non paucis de profectu spirituali utilia traduntur.*

De oblatione hucusque, qua b. Virginis parentes illam in templo Deo sacrarunt, disserimus: nunc oportet, ut de illa, qua eadem sacerrima Virgo in infantili sua aetate Creatori suo seipsam obtulit, sermonem instituamus. Ecce ergo hodierna die prae omnibus aliis pulchris foeminis pulcherrimam Esther (c. 9) in conspectu regis Assueri, adeoque illi placentem, ut ob eximium eius decorem in sponsam suam cum assumeret: ecce reginam Saba sapientissimam Salomonem advenant, ac regalem eius aulam ingredientem, ut et munera illi offerat, et maiora recipiat, et abditissima coelestium rerum arcana sibi pandat: ecce tandem pulcherrimam Iudith (c. 16) templum hierosolymitanum visitantem, ut de victoria Hofersini debitas gratias Deo reddat: cum enim beata Virgo in conceptione sua serpentis caput, hoc est peccatum originale, contrivisset, propter felicem hanc parvam victoriam, oportebat, ut, non secus ac Iudith, pro gratiarum actione Hierosolymae templum inviseret; at non solum invisit, sed se in eius obsequium libentissime mancipavit. Quod si, ut divus Gregorius (lib. 22. mor. c. 12) dixit: *Omne, quod datur, ex dantis mente pensatur*; non potuit Virgine oblatio, quae ex ardentissima, ac supereraphica charitate procedebat, non illi gratissima esse. Multum quidem fructus varios, animalia, pecunias, agros, domus, pretiosas vestes, argentum, et aurum, immo margaritas, et inestimabiles lapides, ac similia alia munera Deo obtulerunt; se autem tolos paucissimi cum Virgine se consecrarunt. Phylomena suavissimum lili ex arbore amoena offert canticum, si tamen extensa manum in tuam potestatem redigere velis, aufugiens, minime se comprehendi patitur; ecce tantum obtulit, sed seipsam offerre omnino renuit: Virgo se totam tradidit, exceptis nihil. Unde si eam etiam conferamus cum illis, qui perfectam, et apostolicam vitae rationem sectantes, se totos Deo obtulerunt, illud inter eos, et beatam Virginem interesse reperimus, quod illi sacrificium, Maria sui holocaustum obtulit: alii enim, cum aliquando peccaverint, *quia nemo sine crimine vivit*: et in multis offendimus omnes, aliquid sibi inveniunt, illud scilicet, cui inordinate adhaerent; beata autem Virgo, quae nullo terreo affectu commutabili bono unquam adhae-